

in centuplo restitueret eisdem, tamen Bano non aliud, quam domos suas, occasione descensus, dare teneantur, pro alijs vero necessarijs precium recipiant; et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso viuento, quam ab hoc seculo trans-migrante, bona sua, cuicumque voluerit, conferat retinenda; et si aliquis de villa super equo vel boue calumpniaretur ab aliquo, pro quanto sacramentum facere presumpserit sibi calumpnians, testibus astantibus, restituat, et res, pro qua causabatur, ad requirentem deuoluatur; et si quis villam istam intrare voluerit moraturus, omnia bona sua, domos suas videlicet, et alia, que possiderat, omnibus scientibus liberam habeat vendendi facultatem, et recedens de villa ista, retineat eandem; et ligna, que ad vsus suos, videlicet igni superponenda, vel ad edificandas domos suas, expedierint, concessimus possidenda; et statuimus, quod sacerdotem, quemcunque voluerint, in suam recipiant ecclesiam, de decimis ipsorum, prout mos est hospitibus vbicumque manentibus, disponentes. Sane, super hec ad utilitatem ipsorum, montem quendam nomine Grachye, et terram, nec non vbicumque in terra Zalac vineas plantare voluerint, omnium reclamacione postposita, assignauimus eisdem. Et ne termini terrarum dubitentur ab aliquo, fecimus annotari, quarum prima incipit ab oriente, vbi minor Chemernica transit per viam, que vulgariter Hoduc vocatur, et via dirigitur illa versus partem meridionalem, vbi meta ipsorum existit; ab inde diuertitur dextrorsum per montem vnum, vbi minor Pernica cadit in magnum Pernica, ibi est meta; exinde minor Pernica dirigitur versus occidentem per viam, que ad cruciferos vadit, ibi est meta assignata; et de via illa descendit versus septemtrionem, vbi ipsa via et Prichlisnica et Perna simul veniunt, ibi est eciam meta; Prichlisnica (sic) vero ascendit abhinc ad caput ipsius montis, et ibi est meta, et abinde progreditur iuxta semitam dextrorsum, et vadit ad caput aque Jelesnica vocatum, et ibi meta sita est; aqua vero nominata confluit abinde iuxta villam Drascu, et cadit in viam, que venit de foro Regis, et ibi est meta, et via illa ascendit ad orientem, iuxta prenomiatum minorem chemernica, et ibi contignatur mete priori. Et ut hoc firmiter et stabiliter permaneat, nec per alicuius machinacionem in irritum valeat retractari, sigilli nostri carattere fecimus roborare. Pristaldis vero, Petro Comite Pilisiensi et Mirizlao de Goricha terigena existentibus. Datum per manus Mathie prepositi Zagrabiensis, tunc temporis aule nostre Cancellarij. Anno gracie M^{mo}. CC^{mo}. XX^{mo}. quinto. Venerabilibus Vgrino Colocensi, Gunzulino Spalatensi Archiepiscopis existentibus. Stephano Zagrabiensi, Martino Corbauienti, Micus Pyzeciensi (?), Episcopis existentibus. Chak Budrugiensem, Pol Bachiensem, Buzad ferrei castri, Gecha Zaladiensem, Mykka Symigiensem Comitatus gubernantibus. Paula Tauarnicorum, Andrea Dapiferorum, Bogomilo Pincernarum, Johanne Agazonum magistratus regnantibus.

A tergo :

Pretiosissimum Privilegium Belae Regis Hospitibus de Perina in Sclauonia super libertatibus, Tributis, Foro, Datis, Iure Patronatus etc. cum libertate testandi, alegandi, collatum, deductionem metalem quoque pulchre complectitur.